

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XVII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122**

caelo de me sollicitus sit? In tam ingenti multitudine Dominus de me non cogitat, Quid ego unus sum praetam spaciofo & magno mundo. Nam ecce, hoc tam late & undiquaq; patens caelum, mare, terra, montes & valles concussa contremiscunt, quoties ipse visitat. Non ergo introspiceret cor tuum? Sed quid ipse facturus sit, hoc videt nemo, & tempestatem qua impendet, nemo prauidet. Multa ipse facere potest inopinata, & quis eloquetur aut portabit, cum ipse horribiliter visitat? Sed haec mihi admodum remota sunt ab hominum oculis, & eas cum homo ferus & prophanus audit, nihilominus pergit in stultitia & errore suo.

D Vas sententias continet, quarum prior, de liberis felicibus & infelicibus ad quartum praecipuum referri potest. Docet autem, neminem multitudinem liberorum magis quam eorum pietate letari, multo minus confidere aut superbire debere. Ut enim summa felicitas & voluptas, habere liberos pios & florentes, *εὐλας οὐκ ἔστιν ὀφθαλμοῖς βίβω*, columnas domuum & oculos vita: Ita rursus acerbissimus parentum dolor ex impietate & sceleribus natorum existit. Qualis fuit in primis parentibus, cum scelus filij Cain aspexerunt. Aut in Iacobo Patriarcha, vel Dauide rege, vel Augusto Caesare, qui filiae & neptis turpitudinem detestatus, hunc versum saepe usurpare solitus est: *καὶ ὄφελον γ' ἀγαπῶς τε μένειν, ἀγῶνος τε ἔσθαι.* O' utinam aut coelebs mansissem, aut prole carerem. Referantur autem ad hanc Syracidae sententiam illustrandam, Psal. 127, Nisi Dominus aedificauerit domum, &c. & Psal. 112. Beatus vir qui timet Dominum, potens in terra erit semen eius, generatio rectorum benedicetur. Theocritus:

*Εὐσεβείαν παιδεύει τὰ λεία • δυσσεβείων δὲ οὐκ.*

Piorum liberis bene erit: Impiorum autem non.

Ignis deuorauit totam multitudinem. Altera pars capitis repetit doctrinam primi praecipui de PROVIDENTIA DEI: cuius doctrinae summam vno hemistichio sapiens Poeta complexus est, *ἔχει θεὸς ἐνδοκον ὅμμα.* Cernit Deus omnia vindex. Est enim prouidentia, actio mentis diuinæ, qua omnes omnium hominum cogitationes, consilia, dicta & facta bona & mala videt, & quidem corda singulorum introspicit, & atrociam hominum impiorum scelera punit atrocibus poenis, & bonos ac pios defendit, & premijs ornat.

## Caput XVII.

F I L I mi, audi me, disce sapientiam, & serio attende ad verba mea. Certa & firma tradam tibi, & perspicue docebo te. Deus ab initio opera sua bene

De liberis.

De Dei Prouidentia  
scelerum puniente.

Vide caput quodam.  
4mg libelli p

Chy  
bene ordinavit, & unicuique suum dedit officium, conseruatque in hoc ordine de die in diem. Indefinenter funguntur singula munere suo, alterumque ab altero non impeditur, & aeterno huic mandato parent omnia.

Creatio ho-  
minis.

Præterea respexit etiam terram, eamque replevit opibus suis, terram etiam implevit animalibus, quæ rursus subter terram veniunt. Deus creauit hominem ex limo terræ,

Legis pro-  
mulgatio.

& rursus redigit eum in puluerem. Præscripsit eis tempus vite, tum masculum tum fœminam condidit, & ad imaginem suam creauit eos. Dedit eis, ut formidabiles essent omni carni, & ut dominarentur super bestias & volucres. Dedit eis mentem & sermonem, oculos, aures, intellectum & cognitionem, ut discrimen scirent boni et mali. Et præ omnibus animantibus respexit eos,

Politia Israëli.

Prouidentia.

ostenditque eis suam ingentem maiestatem: docuit eos, deditque eis legem vite, æternum fœdus faciens cum eis, sua iudicia manifesta-uit eis. Oculis suis viderunt maiestatem eius, & auribus suis vocem magnificam eius audiuerunt, & dixit eis: Cauete ab omni iniquitate, & iussit, ut quilibet diligat proximum suum. Omnis conuersatio eorum est in conspectu eius, nec abscondita illi.

Omnibus terris alijs constituit Potentatus & Principes, sed in Israëli ipsemet voluit esse paterfamilias & Dominus. Opera autem eorum omnia tam aperta sunt coram eo, sicut sol, & oculi eius assidue vident omnem conuersationem eorum.

Omnis malitia eorum coram illo non est abscondita, & omnia peccata eorum coram illo sunt manifesta. Benefacta hominis custodit, ut anulum signatorium, & bona opera, ut pupillam oculi, & tandem euigilabit, ut unicuique reddet super caput suum iuxta merita.

Eos autem qui respiscunt, recipit in gratiam, & defatigatos ipse recreat & consolatur, ne desperent.

Pœnitentia.

Conuertere ergo ad Dominum, & desere vias peccati. Ora Dominum, & desine à malo. Adhære altissimo, & relinque iniquitatem, toto corde odi idolatriam. Quis enim Altissimum laudabit in inferno? Tantum qui viuunt, laudare possunt. Mortui autem (ut qui amplius non superstites sunt) laudare non possunt. Laudato ergo Dominum interim dum recte uales & uiuis.

**B** Reui compendio præcipuas doctrinæ & pietatis Christianæ partes complectitur, & totius ferè Theologiæ epitome est. Deus enim cum sit mens

mens bona, sapiens & benefica, vult bonitatem & sapientiam suam, non in tenebris abditam latere, sed lucere & conspici, & angelis ac hominibus ipsum agnoscentibus impartire. Ideo totum hoc pulcherrimum mundi theatrum condidit, & miranda arte & sapientia distinxit & ordinavit, vt Schola esset sapientiæ, bonitatis, præsentia & omnipotentia Dei, τοφῆ καὶ Φιλανθρώπινα ἀγαθὰ. Qui cum omnes res cæteras ad hominum vtilitatem destinavit: hominem ipsum ad Dei imaginem condidit, & ea bona, quæ in Deo ipso sunt optima, videlicet mentem intelligentem, & sapientiam cum diuina mente congruentem, & immoto septo discernentem recta & praua. Deinde voluntatem liberam, & iustitiam ac rectitudinem diuinæ conformem, in homines transfudit, vt Deum agnoscerent, & testimonia de Deo sibi impressa, & suam cum Deo similitudinem & cognationem intelligerent & exercerent. Nec tantum vestigia præsentia & sapientia ac bonitatis erga homines suæ, omnibus rebus à se conditis, & imprimis animæ & corporibus humanis perspicua impressit: verumetiam ipse ex arcana sede sua prodiens, sua voce, & tradito certo verbo, voluntatem suam hominibus patefecit, quod vitæ hominum normam esse voluit. Cumq; peccato primorum parentum homines, horribiliter deformata imagine Dei, in peccatum & æternas misérias coniecti essent, rursus immensa misericordia patefecit Deus voluntatem suam de Reconciliatione, & promissionem de Semine mulieris Domino nostro Iesu Christo tradidit, qui caput Serpentis contereret, & abolito peccato & morte, iustitiam & vitam æternam vera fide ad Deum conuersis redderet. Huius promissionis voce omnibus temporibus ecclesia Deo collecta, & à cæteris gentibus impijs distincta est. Et quidem in populo Israël immensa Dei bonitate certa sedes ecclesiæ constituta est, in qua verbum diuinitus traditum, Lex & promissio de Messia venturo custodiretur, & in cæteras nationes spargeretur: & vbi Messias definito tempore nasceretur, doceret, ederet miracula, fieret victima, & resuscitatus ex morte conspiceretur. Hic præcipuus finis fuit constitutæ Politia & ecclesiæ Iudaicæ, in qua Christus tandem exhibitus est, & summam doctrinæ, omnibus hominibus ad veram pietatem & æternam salutem necessariæ, tribus capitibus complexus est, cum iussit prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum in nomine suo, & hac fide accepta, deinceps vitare peccata, & Deo obedire iuxta omnia ipsius mandata, propter hunc finem, vt Deus honore afficiatur & celebretur. Hanc ipsam pietatis Christianæ summam Syracides hoc loco tradit, cum iubet nos respiscere & conuerti à peccato ad Dominum, & orare seu petere à Deo remissionem peccatorum, & firma fide adherere Deo nobis placato & propicio propter Christum mediatorem, & prælucente hac fide deinceps repugnare peccato, & nouam obedientiam cum voluntate Dei congruentem incoare, & vero corde & externa voce prædicando, ac celebrando beneficia Dei, & totius vitæ obedientia Deum laudare. Hoc modo non laudant Deum mortui, scilicet concionando & docendo, nec professione & labore suo viuis seruiunt, vt Psalmo 113. dicitur: Non mortui laudabunt te Domine.

## Caput XVIII.

Bbb

O quan-